



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm  
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,  
Speciatim**

**Coninck, Gilles de**

**Antverpiae, 1623**

Dvb. V. Vtrùm & quo iure teneamur diligere inimicos?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)



ciat; hoc ipso enim, quo Deū super omnia amo, ei que in genere omne bonum opto, & in omnibus placere, & ipsi placita pro viribus procurare cupio, implicite opto proximo salutem eternam, aliaque bona ad hanc consequendam ei necessaria, & exhibeo me paratum ut data occasione ea procurem, quatenus hæc sunt etiam quoddam bonum Dei ei que placent, & hac ratione omnis vera & efficax dilectio Dei est etiam vera dilectio proximi.

66 **CONCLUSIO I.** Tenemur proximū ultimo modo aliquando ex caritate vero interno actu diligere. Pater, quia, ut ostendi dub. præced. tenemur aliquando actu interno diligere Deum: omnis autem vera dilectio Dei est dicto modo etiam dilectio proximi.

67 **CONCLUSIO II.** Spectata præcisè virtute caritatis valde probabile est nos non teneri per se unquam vero actu caritatis interno diligere proximū, nisi eo modo quem in prima conclus. explicui: alijs verò duobus modis supra n. 65. recensitis solum obligamur quandoque per accidens diligere proximū, quatenus id quodque est necessarium ut aliqua bona ei procuremus. Ita Scotus in 3. dist. 30. §. *Quantū ad hoc*. circa medium: ubi docet nos non teneri explicite diligere proximū. & Lorca 2.2. sect. 3. disp. 58. n. 10. & videtur aperta sententia D. Thomæ 2.2. q. 25. a. 8. in corpore. Vbi ait nos ex caritate non obligari speciali motu dilectionis amare inimicum, sed sufficere nos animo ita paratos esse, ut eum specialiter diligamus, quando necessitas occurrit: quod sufficere fit per dictum actum dilectionis Dei. Quātum autem est præcisè ex virtute caritatis, non tenemur aliter diligere alios proximos, quam inimicos, nisi in ijs occurrat specialis ratio diligendi.

Prior pars concl. probatur Primò, argumētis allatis nu. 59. & seqq. quæ hanc sententiā videntur satis clarè probare, nec militant vllō modo contra nostram primam conclusionem.

68 Secundò, quia omnia loca Scripturæ ac Patrum, quæ præcipiunt aut docent præceptam esse dilectionem proximi, possunt intelligi de hac implicita dilectione, quatenus efficaciter mouet nostram voluntatem ut proximo data occasione externa amoris signa exhibeamus, ut patet ex dictis n. 59. 60. & 64. imò dicta loca videntur expresse de hac dilectione loqui; nam eam omnino confundunt cum dilectione Dei, & tanquam secundum se ab ea omnino inseparabilem, & solum distinctam ratione actuum externorum, qui immediate circa proximū versantur. ut patet ex dictis locis citatis, & ex toto c. 3. & 4. epist. 1. S. Iohannis.

Tertiò, quia, ut ostendi n. 61. & colligitur ex D. Thoma citato num. 67. amor proximi nobis solum præcipitur quatenus est necessarius ut efficiat animum nostrum paratum ut ei in omni necessitate succurramus, ipsiusque bonum data occasione promoueamus: atqui hoc sufficienter fit per ipsius amorem iam explicatum: ergo hic sufficit.

69 **Secunda pars probatur.** Quia cum sæpè sit necessarium, ut ei aliqua bona procuremus, etiam necessarium est ut ea ipsi velimus; &

quamuis per se loquendo non sit communiter necessarium ut ea ipsi velimus ex virtute caritatis erga ipsum aut erga Deum, cum possimus ea ipsi velle ex alia virtute; tamen in multis actionibus id vix modo connaturali fieri potest, nisi ex aliquo amore amicitie erga Deum vel proximū; ut cum tenemur pro ipsius salute eterna orare, præsertim pro ijs, qui nobis coniuncti non sunt. Ad hæc enim aliaque similia caritatis externa opera exercenda, vix possumus efficaciter excitari nisi ex explicito proximi amore, quo eum vel propter Deum vel propter se amamus. Ex alio etiam capite quandoque eiusmodi amoris actus posset omnino esse necessarius, scilicet ratione alicuius difficultatis quæ in exercendis eiusmodi operibus sæpè occurrit ex aliqua auersione erga proximū, aut inordinato nostro affectu, præsertim quando cum aliquo nostro incommodo ea exercenda sunt, quo casu fieri potest ut non possimus aliter sufficienter nos excitare ut proximo procuremus ea bona, quæ ei tenemur procurare; nisi in nobis prius excitando aliquem explicitum erga eum amorem.

## DVBIUM V.

*Utrum & quo iure teneamur diligere inimicos?*

D. Thomas 2.2. q. 25. ar. 8. & 9. docet Primò, nos debere amare inimicos non quatenus sunt nobis inimici siue à nobis auersi (quia sic amaremus eorum peccatum), sed quatenus sunt homines eiusdem nobiscum naturæ & eiusdem gloriæ capaces; sicut alios proximos amamus. Secundò, docet, nos communiter & per se loquendo non teneri eos singulari beneuolentiæ affectu prosequi, nullo tamen modo posse eos excludere à generali affectu ac beneficijs, quibus generatim omnes alios homines aut aliquam communitatem, cuius ipsi sunt pars, prosequimur. Docet Tertiò, nos quibusdam circumstantijs teneri singularia ijs beneficia exhibere. Quæ ut clariora sint titia nobis hic explicanda restant. Primū, quo iure teneamur diligere inimicos; Secundū, quomodo teneamur eos diligere; Tertiū, an in lege veteri fuerit licitum odisse inimicos. Hæc agemus de solo primo; de alijs, dubijs sequentibus.

Quidam igitur apud Magistrum in 3. d. 3. circa finem putant solis perfectis esse præceptum diligere inimicos; minus perfectis verò id solum esse in consilio, atque adeo hos solum teneri diligere eos à quibus nihil mali passi sunt, & inimicos non odisse. Mouentur præcipue quibusdam verbis D. Augustini in Enchiridio cap. 73. infra citandis. Sed hi nullo modo loquuntur consequenter; nam etsi perfecti multa faciant, quæ non faciunt, imò nec facere possunt imperfecti, quamdiu manent tales; tamen secluso omni voto similitudine particulari obligatione, illi non obligantur ad plura quam hi: nec D. Augustinus loco citato his quidquam contrarium vllō modo insinuat.

**CONCLUSIO.** In omni lege, scilicet euangelica, veteri, & naturæ, nobis præcepta est dilectio inimico-

66  
Tenemur  
proximū  
actu interno  
diligere: non  
tamē distin-  
cto ab eo,  
quo Deum  
diligimus.

67

Scotus.

Lorca.

D. Thomas.

Ex virtute  
caritatis præ-  
cisè non te-  
nemur ali-  
ter diligere  
non inimi-  
cos, quā  
inimicos.

68

69

Qua ratione  
per accidens  
est necessaria

distin-  
cta ab  
actu pro-  
ximo.

70

71

Augst.

Perfecti non  
obligantur  
ad plura quam  
imperfecti.

Augst.

72

inimico-



inimicorum. Est certa & communis omnium Theologorum. De lege Evangelica probatur: quia Christus Matth. 5. ait: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* Quae verba etiam ex parte contineant solum consilium, quatenus nos inuitant ut etiam extra casum necessitatis quacumque data occasione inimicos singulari benevolentia prosequamur; tamen simul etiam continent verum praeceptum diligendi inimicum, iuxta modum dubio seq. explicandum. Hoc autem probatur Primò, quia Christus subdit, *Ut sitis filij patris vestri, qui in celis est.* insinuans nos aliàs, siue nolentes diligere inimicos non futuros filios Dei; quia scilicet grauer peccabimus. Secundò, quia ibidem dixerat, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum.* & deinde subdens in quibus deberet abundare, inter cetera praecepit dilectionem inimicorum. Tertiò, quia, etiam ibi probet dilectionem amicorum, tamen docet eos qui solos amicos diligunt, non habituros maius premium quam Ethnici & publicani habeant, qui sanè vita aeterna carebunt.

74 *Exod. 23.* Probatur de lege veteri, quia Exodi 23. dicitur: *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, redue ad eum. si videris asinum odientis te, non pertransibis, sed subleuabis eum eo.* & Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* quibus locis cum praeceptatur effectus amoris, haud dubiè amor etiam praeceptur, id est voluntas, qua volumus inimico tale bonum, sine qua hic effectus esse non potest.

75 *Luc. 6.* De lege naturæ probatur, quia Christus Luc. 6. vi probet inimicos esse diligendos, adfert illud praeceptum naturæ: *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Ex quo axiomaticè naturæ lumine euidenter cognito, clarè probat diligendos esse omnes homines, etiam inimicos; nam nemo est qui non cuperet amari etiam ab eo, cui ipse nocuit.

Secundò, quia multi Gentiles hoc viderunt: nam Plato in Critone expressè docet non licere referre iniuriam. Et Plutarchus in libro de Virtutibus ex inimicis capiendâ ait, grauissima pœna dignos qui beneficentiam inimicis collatam vituperant.

Tertiò, lumine naturæ certum est proximum esse diligendum: atqui etiam inimicus est proximus; ergo, &c. Minor probatur Primò, quia ipse est eiusdem nobiscum naturæ, & eiusdem gloriæ capax. Secundò, quia Luc. 10. Samaritanus vocatur proximus Iudæi lapsi in latrones, cum tamen illi essent mutui inimici.

76 Dices Primò, Si sit praeceptum legis naturæ: ergo viribus naturæ impleri potest. Respondeo, nego conseq. quia certum est nos totam legem naturæ, sine gratia Dei implere non posse; quare et si fortè possit naturæ viribus aliquis amor haberi erga eum qui nobis est iniurius, non tamen efficax & constans.

77 Dices Secundò, illud videretur esse contra naturam, quia omnes res naturaliter auersantur nocua, ut patet in brutis, & etiam in nobis, qui viso inimico mox naturaliter cōcitamur ad irā. Respondeo id fieri, quia vis estimatiua in brutis

*Coninck de act. supernas.*

& pars animæ inferior in nobis, cum non possint apprehendere honestatem in amore inimici, sola sibi contraria apprehendunt, & ita statim commouentur. Rationis verò est discetne re amanda à fugiendis, & odisse in homine peccatum, & amare imaginem Dei.

Dices Tertiò, S. August. in Enchir. c. 73. ait, dilectionem inimicorum non spectare ad omnes, ad quos spectat dicere, *Dimitte nobis debita nostra*: cum enim sit opus perfectissimum, ad solos perfectos videtur spectare. Respondeo S. August. ibi loqui de singulari beneficentia, quam perfecti ostendunt inimicis, ait enim magnificentiissimæ bonitatis esse ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonū semper velis faciāque. Ad vitandum autem peccatum, siue ad implendum praeceptum de dilectione inimici, non est necessarium ut semper inimico faciamus bonum, ut infra ostendam, sed sufficit nos id facere in certis circumstantijs.

# D V B I U M VI.

## Quaratione teneamur diligere inimicos?

79 **H**Oc dubium triplicem continet difficultatem. Prima est, an liceat aliquando odisse inimicum? Qua in re per se clarum & certū est, licere odisse inimicum formaliter sumptū, siue qua inimicum. quia hoc nihil est aliud quam odisse ipsius inimicitiam erga nos, quod bonū est: nam hac ratione non odimus ipsam personam, sed potius bene ei volumus, dum auersamur ipsius malum, illudque ab eo abesse cupimus; sicut dum odimus morbum amici nostri, aut nos ipsos qua peccatores, siue peccata nostra, tam amicum quam nos verissimè amamus; & potius haberemus nos odio, si nos hac ratione non odissemus.

Sic D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 6. docet, nos debere odisse peccatores qua tales. & a. 7. docet, peccatores quantumvis sibi videantur se amare, tamē secundum effectum & veritatē potius se odisse, dum sua peccata in se amant. Quo sensu etiam ipse Christus Luc. 14. docet, eos qui ad ipsum veniunt debere odisse patrem & matrem, atque adeo omnes suos propinquos: non quidem secundum se sumptos (sic enim eos praecepimur diligere) sed quatenus nos impediunt, quo minus ad Christum accedamus, siue quatenus, ut alio loco ait, domestici nostri sunt inimici nostri; quatenus scilicet nos auertunt à cultu Dei.

Difficultas igitur est Primò, utrū aliquādo liceat odisse eum qui nobis est inimicus? Secundā difficultas est, an teneamur aliquando inimicos actu interno diligere? Qua de re Auctores ferè eodem modo sentiūt, sicut de dilectione proximi, quia etiam inimicus est verè noster proximus. quare ex dictis dub. 4. hac difficultas facillè potest colligi. Tertiā difficultas versatur circa officia caritatis externa, quæ tenemur inimicis exhibere, quam sequentibus conclusionibus explicabimus.

CONCLUSIO I. Numquam licet inimicum siue eum qui nobis inimicus est, absolute odisse

78 *August.*

Licet odimus inimicum qua talem præcisè.

80 *D. Thom.*

*Luc. 14.*

Qua ratione iubeamur odisse propinquos.

81

S s 2

se